



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ignatii Loiolae Vita

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Praepositus Generalis creatur Ignatius. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11486

LIBER SECVNDVS.

59

qua procuratione, intra finem anni vertentis, cum cæterorū tum præcipue Guidicionii ita immutata voluntas est, vt cum de multitudine religionum cohibenda idem quod antea omnino sentiret, huic tamen refragari se vltra negaret posse, diuino videlicet monitu & occulta spiritus operatione vehementer instinctus. Ita qui diu valde anxios habuerat Patres, eorumque spem variis frustrationibus propemodum extinxerat, idem vnà cum cæteris collegis repente placatus ac fauens, rem vltro suscepit, commendauitque Pontifici, Tibure denuo commoranti; qui libentissimo animo & Societatem ipsam & Societati inditum nomen ritè sancteque approbavit V. Non. Octobris, anno MDXL. idque restatum voluit esse publicis litteris eodem die locoque datis, cum eam tamen, vt in vniuersum socii ne plures sexaginta numerarentur. Ea videlicet fuit nouellæ Societatis quædam quasi probatio. siquidem triennio post, cum variis locis atque prouinciis Deo aspirante constaret egregius opere fructus; ab eodem Pontifice limes ille omnino sublatus est, liberumque Ignatio & successoribus relictum, cuiuslibet petenti Societatem dare. quod item apparet diplomate dato pridie Idus Martias, anno M. D. XLIII.

PRÆPOSITVS GENERALIS CREA-

TVR IGNATIVS.

CAPVT XIII.

IGITUR post multas difficultates approbata denique Societate; gratiæ primùm (vt æquum erat) actæ superis, quorum benignitate res bene feliciterque vertisset; deinde, quoniam in dies à Pontifice emissio Patribus imminabat; è suo corpore Præpositum Generalem (sic enim qui cunctis præesset appellare placuerat) primo quoque tempore deligere visum est. Societatis autem status per id tempus erat eiusmodi, Franciscus Xauerius & Simon Roterigijs in Lusitaniam erant profecti. Petrum Fabrum Cæsaris legatus Ortizius ad Vormatiensē cōuentū Pontificis permissu in Germaniā adduxerat. Iacobus Laines Parmæ, Claudius Iaius Brixia, Senis Paschasius agebant. In Brutios Nicolaus Bobadilla discesserat. Cum Ignatio Romæ duo dumtaxat è Patribus versabantur, Salmeron & Codurius: tyrones verò qui nomen dederant Societati, partim apud Ignatium erant, partim studiorum causa ab eodem Parisios missi, necessaria ad bellum spirituale arma caixè parabant. quidam etiam ad res domesticas componendas

E S

pendas

IGNATII VITÆ

70
 aendas in Hispaniam profecti; & concionibus iam tum & collo-
 quiis, ingenti hominum approbatione, Societatis nomen longè
 lateque vulgauerant. Hoc Societatis statu, cum Præpositi eligen-
 di tempus adesset, Patres, qui quidem in Italia erant, per litteras
 moniti, quod rei Christianæ commodo facere possent, creandi
 Præpositi causa ad Urbem accederet; sub initium Quadragesimæ
 anni MDXLI. conuenere omnes, vno dempto Bobadilla, quem
 in oppido Bisiniano tum maximè res gerentem abduci rursus ad
 opere Pontifex noluit. Is & cæteri qui longiùs aberant, suū quis-
 que in schedula suffragium ritè obsignatum, partim in discessu
 reliquerant Romæ, partim deinde misere inclusum epistolis. At
 primùm tridui supplicatio indicta, veritūque inter ipsos de Præ-
 positi electione colloquium est. deinde coniectis in urnam sche-
 dulis, triduum insuper continuatæ preces: ac septimo denique die
 legitimè extractis recitatisque suffragiis, Præpositus declaratus
 Ignatius, nemine præter ipsum Ignatium discrepare: namque is
 consultò, ne vnum nominatim ex omnibus deligendo, cæteros
 quodammodo notasse videretur; in schedula scripserat, se ad eum
 accedere, in quem plurima suffragia conuenirent, vno se dimit-
 tat excepto. Igitur explorata iam numinis voluntate, ad Ignatiū
 venerabundi accurrunt Patres. at ille, parendi nimirum longè
 quàm imperadi cupidior, se uero vultu iubet eos abstinere, negat-
 que se munus viribus impar suis vlla ratione subiturum: multū
 seriò disputat, cur alium potius quemlibet sibi sufficere debeat.
 Sed videlicet quibus rebus putabat voluntates Patrum aliò posse
 transferri, ea ipsa vel maximè studia eorum incendebant. nihil
 enim ad conciliandos homines æquè valet, atque animi modera-
 tio atque submissio. quo factum est, vt nihil eorum quæ ad me-
 nus detrectandum Ignatius afferebat, aliquandiu non modò ad
 animum admitterent, sed ne ad aures quidem. Sed post multam
 denique altercationem egre Ignatius tenuit, vt ampliùs in ter-
 tium diem obsecratione protracta, rursus in suffragium iret.
 quo die cum idem prorsus omnium consensus exstaret, neque in
 „ locus tergiuersationi videretur esse; tum Ignatius: Quandoqui-
 „ dem vos in me potissimum eligendo perstatis, inquit, ego autem
 „ meæ conscius infirmitatis, vestro iudicio salua religione assenti-
 „ ri nequeo; reliquum est, vt huiusce controuersæ arbitrum deliga-
 „ mus eum, qui mihi à confessionibus est; quòque, vt scitis, vtor di-
 „ uina voluntatis interprete. (is erat ante cõditam Societatem frater
 quidam Theodosius ex ordine Minorum, cœnobii quod ad
 sancti Petri in Monte aureo, qui fuit olim Ianiculus, appellatur.)
 Quod,

Quod, ne frustra diutius tenderent Patres, eo facilius concessere, quòd minimè dubitabant, quin ipsorum suffragii prerogatiuam ille quoque sua sententia comprobaturus esset. neque eos fefellit opinio. Cùm enim rem totam ad eum detulisset Ignatius, imbecillitatem suam corporis animique commemorans, dein etiam atque etiam obtestans, vt se tanto onere leuatum vellet; ille cognita re tantum absuit vt precibus Ignatii cederet, vt etiam obiurgauerit hominem, quòd, tam explorata diuina voluntate, Spiritui sancto diutius restitisset. & simul, ne dissimulationi esset locus, vltro adiit Patres, ac de suo responso certiores fecit. Quibus rebus denique victus Ignatius, omni spe in vno Deo rei bene gerendæ reposita, de dit manus, diemque constituit x. Kal. Maii, quo die ad auxilium diuinum implorandum præcipua septem Urbis templa simul omnes obirent, & in diui Pauli potissimū (quoniam eius maximè Apostoli vestigia sequerentur) solemni professione suæ religionis vota susciperent. Vt igitur ea dies adfuit, in eo templo ad sacellum beatæ Virginis, vbi tum Eucharistia custodiebatur, quod sacellum ad imos gradus est aræ maximæ, sub ipsam cælestis panis communionem, ipse primùm qui sacrificabat Ignatius, tum ceteri sua quisque vota clara voce de scripto ex Apostolici diplomatis formula nuncuparunt. deinde sumpto ex Ignatii manibus corpore Domini, post gratiarum actionem, factatissima eius ædis loca religiosè cùm adissent; circa aram maximam, sub qua Petri & Pauli Apostolorum ossa condita sunt, cūcti consistunt, sientesque præ gaudio, & suauissimè amplexantes inter se, gratulantur denuo superis, quòd captis adfuerint, suamque Societatem arctiori vinculo colligarint: deinde reliqua tēpla pari læritia ac pietate circumcunt. Quibus rebus ingenti omnium consensu & cōspiratione peractis, magistratum Ignatius iniit. ac primùm omnium, ad cōstituendam domesticam disciplinam adiecit animum, quæ digna tali instituto, digna Christianæ Philosophiæ professoribus haberetur. Itaque ad ceteros prouocandos, atque ad iacienda in tyronum animis veræ humilitatis fundamenta, in sordidis culinæ ministeriis aliquandiu versatus est ipse, tanta cum alacritate ac diligentia, quasi tū primùm, ad suā ipsius emendationem, vitæ spiritualis curriculum esset ingressus, neque tamen interea grauioribus negotiis deerat, tēporibus ita distributis, vt quantum liceret, vtrique muneri satisfaceret. Accedebat adhæc summus paupertatis amor, summa in victu cultuque frugalitas: præterea in singulorum officiis exigendis erratisque puniendis admirabili mista lenitate seueritas: in subleuandis verò

omnium

omniū & animi & corporis necessitatibus, cura & vigilātia plerūquam paterna. cumque ad ea caritatis officia, prout res postulabat, opportunas insuper adhortationes & publicè & priuatim adhiberet; haud sanè difficile fuit, in animos, recentissimo tum Societatis spiritu sponte incēsos officio ac religione, eos mores eamque viuendi rationem inducere, vt (si cælestibus terrena cōparare fas est) intra illa tecta parietēsq; angelorum in humanis corporibus quidam conuictus videretur esse, nullæ tum querimonix, nullæ detractiones, nulli susurri, quibus incommode suspiciones excitantur, & disjunguntur animi; sed acerrimum sui cuiusque deprimendi submittendique certamen; in superiorum iussis excipiendis exsequendisque alacritas ingens; mirus in communicando interpretandoque candor atq; simplicitas; oculorū ac sensuum intenta custodia; studium precatiōnis ac solidæ virtutis ardens; quæque ex his rebus necessariò prouenit, admirabilis in magna nationum, ætatum, ingeniorum varietate cōcordia. Itaque conjectis, vt fit, omnium oculis in ordinem nouum, breui non ad nostros tantum, verum ad exterōs etiam, salutaris exempli manare vtilitas cœpit. Adolescens quidā, egregiis natura adjuuentis, è Septentrionali plaga Romam aduenerat, non modò Lutheriana tabe infectus ipse, verum etiam mirè cupidus eiusdē lōgè latēq; vulgandæ. Is cum ex occasione sese in hominū cætus infereret, verbisq; venenatis clericorum vitam ac mores summè in inuidiam vocaret primū, deinde abductis à sacerdotum reuerentia mētibus praua dogmata sensim instillare quōtidie pegeret; patefacta re, iussu magistratuum comprehenditur, qui eū & ipsi per se, & sacræ Theologiæ magistris adhibitis, illum ab opinionum infania reuocare frustra conati essent; ne quid intentum relinquerent, ætatem & ingenium miserati, prius quā in eū lege ageretur, accersito Ignatio rem totam exponunt, quoniam ipsorum neque adhortationes neq; minæ proficiant, habeat illū aliquandiu apud se, videat etiam atque etiā vt errantem ouiculū ad Ecclesiæ caulas aliqua ratione traducat. Ille clemēter acceptū hæreticum domum adducit; neque verò sapiēres iudices frustrata spes est. siquidem adolescens ab Ignatio sociisque amicissimè habitus; eorū dictis, factis, & institutis accuratè obseruadis paulatim affici atque immutari Dei beneficio est ceptus, & quā antea respuerat medicinam, libētius in dies accipere; ac demū perseuerantibus Patrum officiis, & diligentissima curatione, eō processit res, vt euulsis lethaliū dogmatū fibris, priorem pertinaciā gemebundus agnosceret: nec antè à salutari incepto desistit, quā

voluntaria abjuratiōe deestatus errores, ingenti bonorū tum admiratione tum gaudio cum Ecclesia sancta in gratiam rediit. Is deinde, quærentibus viris gravibus cur qui antea tot machinis oppugnatus peruicacissimè restitisset, Ignatii denique & Patrum hospitio & consuetudine vinci se passus esset, sine cunctatione respondit, se illorum non tam disputationibus argumentisque (licet in eo quoque genere valerent plurimū) quā spectatæ sanctitati virtutisque celsisse: quod ita apud se propè necessariò statuisset: à tam incorruptis moribus, tanta pace atque concordia, tam bonis operibus rectam in Deum fidem abesse, nullo modo posse. Quæ res documento erit hominibus nostris; licet ad conuertendas ad Christū animas ingenii ac doctrinæ præsidia requirantur, tamen inspecta vitæ morūque innocētia plus multo quā litteris aut concertationibus profici. Alius quidam filius familias, desertis liberalibus studiis, ac repudiata omni disciplina, prorsus indomitus & effrænis, cum neque à parentibus iam neque à magistris regi vllō modo posset: Ignatio traditur, cuius lenitate, itēque cæterorum Patrum præceptis atque institutis accuratissimè excultus, posita paulatim ferocia petulantiaque, cunctis admirantibus ita pudicos modestosque induit mores, vt vix minimum in illo vitium reprehenderes. Multi præterea omnium aratum atque ordinum, quos præceps in omnem licentiam natura cupiditasque corruperat, Ignatii consuetudine exemplisque incitati, collegere sese, atque ad bonam frugem Deo adiuuante rediēre.

GENERALIS IGNATIVS DENVO CATE-
CHISTAE MVNERE FVNGITVR.

CAPVT XIV.

PER eos dies nomen Societati dederat è Pontificia familia Petrus Codatius Laudensis, vir honoratus, & opulento sacerdotio præditus. Is, diuino prorsus instinctu, diuitiis & commodis omnibus propter Christum abdicatis, Marthæ munus in Societate sibi vltro depoposcit, & egregiè præstitit; in alimenta Patrum (erat autem Vrbe tota notissimus, & apud Principes gratiosus) eleemosynis vndique corrogandis. quæ res Ignatium & socios magna molestia liberauit; quippe quos in spiritualē proximorum salutem omni studio intentos, temporariæ curæ ad eam diem valde impediērant: Eiusdem Petri opera templum etiam proprium Societas nacta est sanctæ **MARIAE à Strata,**